ſacerent ſatellites, & iam Torgam Lipſia aduexiſſent, æger cupidus vitæ, chirurgum oppidi peritiſsimum Leonhardum Vvolcium, & me quoque precibus accerſit. At primùm rem omnem vt accidiſſet, prolixè nobis recẽſet, deinde gemebundus opem noſtram implorãs, obſecrare ſe ait vt deſertum ab omnibus noſtra beneuolẽtia complecteremur, & curandũ ſuſciperemus. Chirurgus itaque laxatis ligamentis, & cognito vulneris periculo, mox vitam ſimul atque curationem denegat deſperato. Tandem mea interceſsione motus, cum pollicerer meam quoque operã ac fidem coniuncturum, ſuſcipit & religat ſummo ſtudio. Ibi tum hebdomadas vndecim vrina non canalem perfluxit ordinatum, ſed per plagam manauit: per eam autem omnis ſubſtantia cutis carniſq; vſtulata ab ictu erat, eiq; materies quædam glutinoſa ex acredine lotij ſanieq; circumcirca adhæ-